

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

Cremonen.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

Henrici Rebuschini

SACERDOTIS PROFESSI

ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM MINISTRANTIUM INFIRMIS

(1860-1938)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Assiduitas doloribus physicis et spiritalibus aegrotorum praebita id spectat, ut Domini Iesu inexhaustae misericordiae et patientiae atque bonitatis sit continuatio, qui ad omnes se dimisit generis humani miseras peccato sauciati et per corporum dolentium curam pacem animis dedit atque salutem. Vestra idcirco in valetudinariis praesentia, apud pauperes et indigentes, constans sit caritatis Christi radiatio, explicata defensio urbanitatis, gratificationis, heroicae virtutis, si oportet, eorum, qui exemplum Domini Iesu duxerunt unicum vitae suae causam, mensuram generositatis sine mensura, secretum impetus incitamentum sola morte decessuri » (*Insegnamenti di Paolo VI*, vol. III, Tip. Pol. Vaticana, 1965, pp. 289-290).

Verba, quibus Summus Pontifex Paulus VI est Clericos Regulares Ministrantes Infirmis allocutus, propositorum et apostolatus Servi Dei Henrici Rebuschini compendium esse videntur, qui Christi exemplum et doctrinam est fideliter secutus suamque impendit vitam aegrotorum

atque peccatorum servitio, quibus, cum humilitate et caritate, bona Redemptionis largiter distribuit et misericordiae divinae evangelicaeque necessitudinis dulcedinem experiendam obtulit.

Dignus hic Sancti Camilli de Lellis assecla natus est in oppido *Gravedona* die 28 mensis Aprilis anno 1860, intra Comensis dioecesis fines, a familia opulenta solidisque principiis moralibus et religiosis exornata. Parentes, Dominicus Rebuschini et Sophia Polti, eum optima instruxerunt educatione, quam puer obsequenter combibit et utiliter eamque ob rem in lumine fidei semper ambulavit, apertam ostendens propensionem ad deprecationem, ad solitudinem, ad familiaritatem cum Domino et ad continentiam. Lycei studiis confectis est etiam computatoris diploma adeptus patris appetitioni obsecundans, qui eum habilem esse cupiebat mercatorem, cum filius mallet omnino Deo eiusque regno se consecrare, bonis illectus maioribus. Hoc numquam dimisit desiderium, nec in militia, nec tempore quo apud sericorum officinam minister fuit in viculo *Cremia* ac deinde apud Administrationem valetudinarii civilis Comensis, ubi sollicitudine eminuit de aegrotis.

Patris dissensione superata et consensu obtento episcopi dioecisani, anno 1884 seminarium Langobardum Romae ingressus est coepitque Pontificiam Studiorum Universitatem Gregorianam frequentare, sed anno 1886 fuit ei ad familiam redeundum propter valetudinis causam. Melius cognita Dei voluntate, subsequenti anno postulavit et obtinuit ut in Ordinem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis reciperetur. Cum Veronae erat novitius est sacerdos ordinatus a Iosepho Sarto, Episcopo Mantuano, idibus Aprilibus anno 1889; insequentis mensis Decembris die 8 vota suscepit simplicia et biennio post vota sollemnia. Superiores, qui eum ob virtutes magni faciebant, statim ei vicarii magistri novitiorum ac theologiae praeceptoris munera crediderunt in scholasticorum sede. Non multo post nominatus est valetudinarii militaris ac valetudinarii civilis Veronensis cappellanus, ubi ardore effulsit, caritate et humanitate qua aegrotis assidebat, in quibus Christum videbat crucifixum; eos visitabat, consolabatur atque bonitate mollitudineque et praesertim fidei ac spei verbis sacramentoque paenitentiae ad Deum adducebat. Pro eorum conversione preces offerebat et in casibus difficilibus asperas paenitentias obire non dubitavit. Ab anno 1899 Cremonae mansit, muneribus fungens cappellani Filiarum Sancti Camilli, oeconomi domus suae religiosae et nosocomii decemque annos fuit etiam communitatis suae superior, quam potius exemplo sanctitatis suae rexit quam auctoritatis exercitio. Eodem tempore solito cum fervore in curam incubuit spiritualem infirmorum

inque confessionum ministerium. Quamvis verecundus esset, in verbis parvus et peculiariter timidus, munia sacerdotalia et communia cum dignitate, diligentia et perseverantia est exsecutus atque, corde in aeternitate et in Deo defixo, constanter est in Christo sequendo progressus et in via perfectionis, Ordinem suum necnon Cremonensem civitatem salutariter movens. Verus homo Dei, semper in lumine fidei vixit, spei et caritatis. Firmiter revelationi assensus est atque Ecclesiae magisterio, artam coluit coniunctionem cum Deo per piam divinorum mysteriorum celebrationem et liturgiae horarum, deprecationem, meditationem aeternarum veritatum. Multum insumebat tempus in Eucharistiae adoratione, singularemque excoluit in Sanctissimam Trinitatem, in Christi Passionem et in Virginem Mariam pietatem. Amoris Dei plenus, omni tempore eius voluntati eiusque legibus oboedivit atque humiliter pro eius gloria et regno laboravit, evangelium testificans et animis serviens cum suavitate, alacritate et prudentia. Caritatem Christi in fratres sodales, in aegrotos, in peccatores effudit in eosque, quibus per diem obviam se dabat. Misericors fuit in omnes, in illos quoque, qui eius fiducia atque bonitate sunt abusi. Erga suam religiosam consecrationem fidelis, diligenter vota et Regulam servavit, abnegavit se ipsum, sensus coercuit, affectiones continuit, ab inanibus mundi rebus fuit alienus, omne peccati et vitii genus effugit, in difficultatibus fortis fuit et patiens. Egrege iustitiam explicavit erga Deum et proximum munereque oeconomi est functus cum probitate, integritate et accuratione, nitens quam optime utilis esse fratribus sodalibus et aegrotis in eorum nosocomio iacentibus. Saepius in vitae cursu magnorum interiorum dolorum crucem tulit, quibus tamen non est impeditus, quominus in viis Dei progrediretur et exemplari modo officia sacerdotalia sustineret. Peripneumonia correptus, praemium aeternum, quod semper exoptaverat, die 10 mensis Aprilis est consecutus anno 1938.

Sanctitatis fama, qua in vita claruit, confirmata est et aucta post eius mortem; quapropter Episcopus Cremonensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebratum processum ordinarium informativum (annis 1947-1958), cui additus est processus rogatorialis Comensis (anno 1948). Anno 1980 promulgatum est decretum super Causae introductione et annis 1981-1983, apud eandem Curiam Cremonensem, est processus apostolicus exstructus. Horum processuum auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto pridie idus Iunias anno 1987 promulgato. *Positione* perfecta, disceptatum est, an Servus Dei heroum more virtutes observavisset. Po-

stridie idus Februarias anno 1995 prospero cum exitu Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Excellentissimo domino Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno, agnoverunt Dei Servum Henricum Rebuschini heroum in modum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infra-scripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Henrici Rebuschini, Sacerdotis professi Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

† ALBERTUS BOVONE
Archiepiscopus titularis Caesariensis in Numidia
Pro-Praefectus

† EDUARDUS NOWAK
Archiepiscopus titularis Lunensis
a Secretis